

Eberhard Deichmann Hermann Werner

Dissertatio Academica, Nobilem & intricatam iuris materiam; De Divisione Ac Qualitate Rerum, Et Earum Dominio Ex Iure Gentium Acquirando, Continens,

Rostochii: Pedanus, 1627

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731520424>

Druck Freier  Zugang



Teilung und Beschaffenheit von
Dünge

E. Reichmann (H. Werner) Vert.

R. U. in 1627.

Dissertatio Academica,
Nobilem & intricatam juris materiam;
De
**DIVISIONE AC
QUALITATE RERUM, ET
EARUM DOMINIO EX JURE
GENTIUM ACQUIRENDO,
CONTINENS,**

Quam
DEO DUCE,
*Amplissimâ Facultate Juridicâ in Academiâ
Rhodopolitanâ approbante,*

SUB PRÆSIDIO
Excellentissimi & Clarissimi Viri,
DN. EBERHARDI DEICHMANNI,
Jurium Doctoris &c: Præceptoris & fautoris
sui æviter observandi,

publicè ventilandam proponit
HERMANNUS VERNER
Fürsten: Westph.
In Auditorio Magno. 11. April. horis antemeridianis.



ROSTOCHI
Literis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.
ANNO M. DC. XXVII

Dissertatio Academica

Nobilitatis in Universitate Rostockensi

DIVISIONE AC

QUALITATE RERUM ET

EARUM DOMINIO EX IURE

SENTENTIA AC

CONSTITUTIONE

Quam

Edidit



DR. HERRHARDI DEICHMANNI

juris Doctoris & Professoris & Auditoris

in Rostocke

publici

HERRMANNUS VERNER

Editor

In Rostocke MDCCLXXII. Id est Anno 1772.

—————

Rostock

IN BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS ROSTOCKENSIS
ANNO MDCCLXXII



THESIS I.

Nter alias juris nostri materias, eam etiam, quæ de Rerum divisione ac qualitate, acquirendoq; earum jure gentium dominio, tractat, eminere videmus; idq; tam propter subtilitatem, Gilck, in præf. ad *b. t. fol. mibi. 10.* quam utilitatem; illam siquidem per multas juris materias, non tantum latè diffusam esse, sed & illius cognitionem, multarum legum intelligentiam secum adferre, imò tranquillitatem publicam, hominumq; inter se naturalem societatem conservare, notissimum est. Duar. ad *b. t. c. 2. in pr. fol. m. 610.* Quare rem non ingratam ac inutilem nos facturos confidimus, si hanc ipsam, in conclusiones conjectam, publicæ velitationi subjiciamus.

II.

Et quamvis ex consilio Ulpiani in *l. Ere est. 1. de reb. cred.* significatio voculæ Rei, præliminaria quædam exigere videatur, tamen, cum ob generalitatem nimiam, *d. l. 1. Paul. l. rei. 5. Ulp. l. rei. 23. de V. S.* vulgò transcendens appelletur: Goed. ad *d. l. 5. n. 54.* eam potius intelligentiæ sanæ committere, quam definitioni includere volumus.

III.

Res in articulos deductæ, vel in patrimonio, vel extra patrimonium nostrum sunt. Justin. *pr. Inst. b. t.* Paul. *d. l. Rei 5. de V. S.* Vel, alias divini, alias humani juris esse, Gajus in *l. Summa. j. in pr. b. t.* respondit,

A 2

4. Di-

IV.

Divini juris sunt absolutè, res sacræ, ac religiosæ, quodammodo verò sanctæ, veluti muri & portæ. Gaj. in *d. l. j. b. t.*

V.

Sacræ autem res sunt, quæ dedicatæ sunt publicè, Marcian. *l. in tantum. 6. §. sacra 3. b. t.* ita, ut si fuerint privati alicujus, ejus etiam assensus accedat: Pomp. in *l. id quod. 11. de R. J.* sin verò in publicorum numero constitutæ, Princeps consentiat, Ulp. *l. sacra. 9. in pr. b. t.* & Consecrans, hoc est, Pontifex, *§. sacra. 8. Inst. b. t.* seu penes quem est sacrorum cura: & hic, manibus ad cælum extensis, in loco sacrando orationem habeat, & ibi venerabilem salutis nostræ crucem figat, secundum Justin. Imp. in *c. illud. j. in med. Novell. 5.* vid. *Novell. 67. c. j. in fin. Nov. 23. c. 34. Nov. 131. c. si quis. 7.*

VI.

Sacrum itaq; privatim constitutum, sacrum non est, sed profanum: Marcian. *d. l. in tantum. 6. §. sacra. 3. b. t.* & legibus *12. tabb.* hoc modo, *ne quis separatim Deos habesset*, cautum fuit.

VII.

Sunt autem rerum sacrarum duo genera. *Dd. comm. ad d. §. 8.* Unum est earum, quæ ad cultum Dei directò dedicatæ sunt: ut puta, sacræ ædes, & donaria, sive omnis suppellex sacræ. *d. §. 8. J. b. t.* Alterum verò earum, quæ ad ministerij sustentationem potissimum destinatæ sunt: Veluti decimæ, & annui Ecclesiæ redditus. De quibus vide Gelasij, Simplicij, & Gregorij Pontif. Rom. *c. presulum. 16. q. 3. c. concessio vobis. cum seqq. 12. q. 2.*

VIII.

Utræq; hanc habent qualitatem, ut nullius sint in-

bo-

bonis: §. *natius. 7. Inst. b. t. Marc. l. in tantum 6. §. sacra. 2. b. t.* ideoq; nec obligari, nec sub ulla quadam alienationis specie, ad alium transferri possunt. Impp. Leo & Anthem. in *l. jubemus. 14. in pr. C. de SS. Eccles. c. nulli, §. de reb. Eccles. non alien.*

IX.

Idq; adeò verum est, ut, si venditæ, aut oppignoratæ cuiquam sint, Ecclesia potestatem vendicandi eas habeat, nulla ad repetendum emptori actione relicta: *dd. Impp. in d. l. 14. §. sanè j. C. d. tit. quia ea, quæ contra leges fiunt, pro intactis habenda sunt. d. §. sanè in fin. Theod. & Valent. in l. non dubium, vers. quod ad omnes. in med. C. de LL.*

X.

Fallit tamen hoc, quando ære alieno Ecclesia premitur: Auth. *hoc jus. in pr. C. d. t. vel captivi redimendi, vel pauperibus alimenta subministranda sunt: c. Apostolicas, & seqq. 12. q. 2.* etenim aurum Ecclesia habet, non ut fervet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus, Ambros. *c. aurum. & Hieron. in pr. c. gloria. d. caus. 12. q. 2.* præsertim fidei confortibus.

XI.

Et hæc exceptio etiam locum habet, si alienatio Ecclesiæ sit utilis & proficua: *Nov. 7. c. ut autem. 2. §. sinimus. un. prævia scilicet cognitione causæ, decreto Antistitis accedente, nec non suffragio eorum, ad quos ea res pertinet. c. tua nuper. c. 8. de his quæ sunt à pral. c. 1. de reb. eccles. non alien.* Magnus Cothmannus, Saxonix, dum viveret Papinianus (nobis 14. April. Anni 1624. creptus) *j. consil. 45. n. 90. & seqq.* Contra, qui solemnitatibus hisce neglectis, sacrum, sacrove commendatum rapit, compilat,

lat, aut quovis alio modo profanat: is sacrilegij nefario crimine se obstringit. Leo & Anthem. Imp. in *l. jubemus* 14. *S. sanct. j. C. de SS. Eccles. Ambrōs. c. sunt qui.* Gregor. v. *sacrilegium.* Luc. Episcop. c. omnes. 17. q. 4. Huc etiam pertinent verba leg. 12. *tabb. ap. Cic. 3. de legibus: Sacrum sacrove commendatum, qui clepserit, rapueritque, parricida esto.*

XII.

Et licet antè, ac intra seculum, res sacræ ab usum haud levem passim sint expertæ: tamen usum retinuerunt: quare etiam malum haberi æquum non est, quo bene uti licet, inquit Cicero, sed imitandum Jcti Modestini responsum in *l. legatum. 16. de usu. Et usufr. legat.* Quemadmodum enim is consultus, num legatum civitati à defuncto relictum, ut singulis annis in sui memoriam spectaculum (quod in illâ civitate celebrare nefas erat) ex redditibus celebraretur, heredibus defuncti cederet? iniquum hoc esse, memoriamq; testatoris alio & licito genere celebrari oportere, respondit: sic quoq; res, priscis temporibus Deo & pauperibus superstitione aliqua dedicatæ, hac expiatâ, non ad heredes defunctorum revolvendæ, vel in fiscum magistratus, privatorumq; hominum usum, redigendæ: sed potius in veros usus, *hoc est*, ad pauperes alendos, vel ad veros magni Dei, & servatoris nostri Jesu Christi, *Justin. in pr. c. 9. Nov. 121.* ministros, juventutis informatores sedulos, vel ad studiosorum conatus pios, juvandos, & similes, convertendæ sunt. Huc fac. respons. Valent. in *l. legatum. 4. de administr. rer. ad civit. pertin.* vide *X. A. zu Anspurg. de Anno 1555. S. Als arch. fol. m. 399. Dn. Cothm. d. conf. per tot.* Quod enim semel Deo dicatum, sacrumq; effectum est,
ad

ad usus profanos ulterius transferri non debet. *c. semel.*
de R. 7. in 6. & ibi Muxellan. fol. m. 361. n. 1.

XIII.

Sunt etiam adhuc alia privilegia dictarum rerum, non solum in acquirendo, sed & possidendo, conservando, adeoque in omni jure augendo, consistentia. Quis namque Ecclesie bona, a laicorum jurisdictione immunita esse ignorat? Impp. Leo & Anthem. *l. omnes 33. §. privilegii 7. C. de Episcop. & cleric. Theod. & Valent. l. neminem. 11. in fin. C. de SS. Eccles. Ambros. c. convenior. 23. q. 8.* Quis, immunitatem templorum sive sacrarum aedium, tam late se extendere nescit, ut asyla & periculorum sint perugia, maxime de jure Canonico: *c. si quis contumax. 17. q. 4. c. reos. 23. q. 5. Impp. Honor. & Theod. l. fideli. 2. C. de his qui ad Eccles. confug.* nam de jure civili templa innocentibus & injuriam metuentibus, non autem inferentibus, vel nocentibus securitatem praestant. *Nov. 17. c. 7.* quia poenas ob maleficia solvi magna ratio suadet, Gaj. *l. si a reo. 70. §. id quod §. de fidejuss.* immo probis nocet, qui malis parcat: Senec. & pinguiorem victimam Deo mactari non posse, quam hominem sceleratum, innuit *c. quali. 23. q. 5. Heig. 2. q. 39.*

XIV.

Et cum dedicatio aedificij, etiam afficiat locum, cui impositum est, is diruta aede sacra, sacer manet: Marcian. *l. in tantum. 6. §. sacra. 3. in fin. b. tit. & venire, vel aliquo modo alienari nequit. Papin. l. aede sacra. 73. de contrab. empt.* veniens vero in potestatem hostium, sacer esse desinit: at a calamitate ista liberatus, quasi quodam postliminio reversus, pristino statui restituitur. Pompon. *l. cum loca. 39. de relig. & sumpt. fun.*

15. Res

XV.

Res religiosæ (à relegendo, religando, aut relinquendo dictæ, Dd. ad *§. religiosum. 9. Inst. b. t.*) sunt, quæ non publicâ autoritate, certis & solennibus verbis Deo, ut sacra, sed privati alicujus voluntate, & nudâ illatione mortui, inferis, *hæc est*, mortuorum manibus dedicabantur. Marcian. *l. in tantum. 6. §. religiosum. 6. b. tit.*

XVI.

Hujus generis sunt omnia sepulchra, à Constat Imper. domus defunctorum appellata, *l. qui. 4. in pr. C. de sepulchr. violat. hoc est*, in quibus corpus, ossave hominis conducta sunt. Vlp. *l. locum. 4. §. sepulchrum. 5. de relig. & sumpt. fun.*

XVII.

Et eorum quædam sunt Familiaria, quædam Hereditaria. Illa dicuntur, quæ quis sibi familiæq; suæ constituit: hæc autem, quæ quis sibi, hæredibusve constituit: Gaj. *l. familiaria. 5. d. t.* vel quod paterfamilias jure hæreditario adquisivit. Vlp. *l. quod. 6. l. in pr. eod.*

XVIII.

Et cum corpus hominis locum religiosum faciat, nullusq; locus sine sepulturâ religiosus esse possit: sequitur, si quis eo animo corpus intulerit, quod cogitaret inde aliò postcâ transferre: magisq; temporis gratia deponere, quàm quod ibi sepeliret mortuum, & quasi æternam sedem daret, destinaverit: locum profanum manere. Paul. *l. si quis. 40. d. tit.*

XIX.

Verum non totus, qui sepulturæ destinatus est locus, religiosus fit, sed quatenus corpus humatum est. Vlp. ex Celfo in *l. locum. 2. §. sepulchrum. 5. eod.* Quod si
in

In diversis locis sepultum est, uterq; quidem locus reli-
giosus non fit: quia una, vel unius sepultura, plura se-
pulchra efficere non potest. Mihi autem videtur, illum
esse religiosum locum, ubi, quod principale est, condi-
tur, *id est, caput, cuius imago fit, unde cognoscimur.*
Paul. *l. cum in diversis. 44. d. tit.*

XX.

Hinc licet Dd. inferant, si in ipso confinio, homo oc-
cisis reperiat, et, ad cuius territorium capite inclinatus,
cognitionem criminis competere: tamen in dubio hæc
conjectura nimis infirma est. Ad utrumq; igitur hæc
spectare, rectius affirmat Zas, in parat. ff. *comm. divid.*

XXI.

Porrò de jure civili, religiosum locum unusquisq;
facere potest, suâ voluntate, dum mortuum inferat, in
locum suum, in quo habet plenum jus & dominium.
Marc. *l. in tantum. 6. §. religiosum. 4. h. tit.* Vlp. *l. Prætor
ait. 1. §. facere. 7. de mort. infer.* Nam si ager sit proprie-
tarius duntaxat, aut fructuarius: utriusq; domini con-
sensus omninò requiritur. Vlp. *l. locum. 2. §. si usumfr. 7.
de relig. 5. sumpt. fun.* Papin. *l. sunt persone. 43. eod.*

XXII.

Quod si ager sit communis: absq; consensu socij
mortuum inferre non licet. *§. religiosum. 7. h. t.* Marcian.
l. in tantum. 6. §. 4. h. t. At in sepulchro communi, etiam
sine cæterorum consensu, ex ipsis dominis quemlibet re-
ctè sepeliri constat: potissimum verò, quando non est
alius locus, in quo sepeliri possit, Callistrat. *l. si plures. 21.
de relig.*

XXIII.

Quod si alienum inferat, familiæ herciscundæ, aut

B

com-

communi dividundo iudicio, rectè convenitur. arg. *l. si
ades. 12. l. Papin. Sabinus. 28. Commun. divid.*

XXIV.

Mortuo verò in alienum locum illato, domino vel non consentiente, vel ratum habente, locus religiosus non efficitur. *d. §. religiosum. 9. in fin. Instit. h. t. Vlp. d. l. 6. §. 4. in fin. eod.* Itaq; is qui intulit, aut tollere id, quod intulit, aut loci pretium prestare cogitur, per in factum actionem, quæ tam heredi, quam in heredem competit, & perpetua est. *Gaj. l. is. qui. 7. de relig. & sumpt. fun.* Ossa verò, vel corpus effodere, domino, sine pontificum, præsidis vè iussu non licet, ex sententia Labeonis. *Vlp. l. ossa. 8. in pr. d. t.* Quinimò violatores sepulchrorum, monumentorum, statuarum infames efficiuntur: *Vlp. l. 1. & 2. cum seqq. de Sepulchr. violat.* interdum etiam pro qualitate delicti, humilis conditionis, ultimo supplicio afficiuntur: honestiores verò, in insulam deportantur. *Paul. l. rej. fin. d. tit.*

XXV.

Verum, quod olim ex Divi Hadriani rescripto, sub pœna 40. aureorum erat prohibitum. *Vlp. l. prator. 3. §. Divus. 5. d. tit.* id hodiè usu, & jure Canonico correctum est, ita, ut non solum in cœmiterijs, sed etiam templis Christianos sepelire concessum sit, & tam in urbe, quam extra eam: *tot. tit. X. de sepult. arg. l. de quibus. 32. de legib.* etiam criminum obnoxios, & digno supplicio subjectos, *Imp. Dicolet. & Maxim. l. obnoxios 11. C. de relig. & sumpt. fun.* si modò cum signis veræ pœnitentiæ discesserint. *c. fures. X. de furt.*

XXVI.

Excipitur tamen, à communione Ecclesiæ legitimo modo segregatus, uti & hæreticus, Judæus, & usurarius.

c. san.

*c. sacris. X. de sepult. c. nullus. 23. q. 5. c. quia in omnibus. X. de
usur. Majestatis crimine damnatus, Vlp. l. corpora. i. de ca-
daver. pun. nec non metu pœnæ seipsum interimens. c. pla-
cuit. 23. q. 5. Et ibi Gloss. Quorum sepultura non humana,
sed canina, aut asinina esse solet.*

X XVII.

Cæterum eandem res religiosæ cum sacris naturam
habent: idcò etiam, extra commercium sunt. Marc. d. l.
6. §. 2. b. t. neq; vendi, vel obligari, juris religione pro-
hibente, possunt: Gordian. l. res religioni. i. C. de sepulchr.
Viol. Antonin. l. invito. 2. C. de relig. Et sumpt. fun. nam &
Scto cavetur, ne usus sepulchrorum permutationibus
polluatur, id est, ne sepulchrum aliæ conversationis
usum accipiat. Vlp. l. si quis. 12. §. 1. de religios. imò monu-
mentum alienum demoliri, fas non est: quia religionis
interest, monumenta extrui, & exornari, Vlp. l. prator. 1.
§. interdictum. 6. de mort. inferend.

X XVIII.

Quod de sepulchris dictum est, id multò magis obti-
net in defunctorum corporibus. Quare Vlp. lib. 9. de
de omnib. Tribunal. scripsit, pertinere ad officium præsidis
provinciæ, curare, ne corpora aut ossa mortuorum de-
tineantur, aut vexentur, neve prohibeantur, quo mi-
nus viâ publicâ transferantur, aut quo minus sepelian-
tur: l. ne corpora. 38. de relig. Quare debiti gratiâ, debi-
toris defuncti exuvias detinere, aut impedimentum ea-
rum sepulturæ facere, omninò prohibitum est. Nov. 115.
c. hac autem. 5. vers. meminimus, unic.

X XIX.

Olim in hujusmodi flagitio deprehensus, 50. libras
auri dependere: vel sub judicè competente, pœnas cor-

pore suo luere, fuit conatus, Justin. *l. cum sit. 6. in fin. C. de sepulchr. Violat.* Hodie, à debiti repetitione cadit, & alterum tantumdem heredibus injuriati exsolvit: in super tertiâ parte honorum publicatâ, ipsoq; infamia notato. Auth. *item qui. C. d. tit. Qui enim hominis naturam non erubuit, dignus est, & pecuniis, & gloria, & aliis omnibus condemnari.* Nov. 60. r. 1. *vers. qui enim.* Et hæc de cadaveribus.

XXX.

Cum autem reliquiarum translatio impetratur, definit locus religiosus esse. Paul. *l. cum in diversis. 44. S. cum autem. 1. d. relig. & sumpt. fun.* uti etiam, si ab hostibus occupetur. Pompon. *l. cum loca. 36. d. t.* Quod si ab hac calamitate fuerit liberatus, quasi quodam postliminio reversus, pristino statui restituitur. *d. l. cum loca. 36. in fin.*

XXXI.

Sequuntur res sanctæ: quæ quodammodo divini juris, S. *sanctæ. 10. Inst. b. t. Thes. supr. 4.* & sanctione quadam legis ab injuria hominum exemptæ ac munitæ sunt: Marcian. *l. sanctum. 8. in pr. b. t.* quod enim sanctione quadam subnititur, id sanctum, etsi Deo non est consecratum, reputatur. Vlp. *l. sacra. 9. S. propriè. 3. d. tit.*

XXXII.

Harum in numero sunt leges, *d. l. 9. S. 3.* muri & portæ civitatis: Gaj. *l. 1. pr. b. t.* qui, quæve, ob qualitatem inhærentem privati alicujus nec sunt, nec esse possunt. *d. S. 10. J. b.* Quare etiam nulli privato in his demoliri aliquid, aut facere licet, quo damnum aliquod irrogetur, sine magistratus autoritate: Hermog. *l. in muris. 2. ne quid in loc. sacro.* uti nec cuiquam in illis habitare, sine Principis permisso, propter fortuita incendia, conceditur, Paul. *l. fin. d. t.*

XXXIII.

Et, cum beneficio harum rerum, municipia, castra, civitates, ac villæ, ab injuriâ hominum sint tutæ: veritati consonum est, pœnam capitis hostili animo eas transcendentes præstitutam esse: Pompon. *l. fin. b. t.* Goed. ad *l. 5. de V. S. n. 17.* cum, secundum d. JCrum, hostile, ac abominandum sit, cives Romanos aliò, quàm per portas egredi *d. l. fin.*

XXXIV.

Hanc rem cædis fraternæ occasionem Romulo præbuisse Liv. *1. dec. 1.* scribit. Cicero contra, speciem utilitatis, animum ejus impulisse, & cum ei visum esset utilis, solum, quàm cū altero regnare, fratrem interemis- se, & in eo pietate & humanitate omissa, muri causam op- posuisse, speciem honestatis nec probabilem, nec satis idoneam, adeoq; peccasse. *3. offic. fol. m. 125.* docet.

XXXV.

Quod de muris & castris dictum est, quidam ad car- ceres publicos extendendum esse judicant: ideo, quod, qui effracto carcere, vel cum cæteris, qui in eadem sunt custodia, conspiratione facta, evaserunt, capite punien- dos esse, Saturninus probavit, relatore. Vlp. *l. de his. 1. in pr. de effractor.* id tamen de carcere summi principis tan- tum intelligendum, & cum aliis inferiorum carcerum effractoribus, mitius agendum esse, cum Wel. *in parat.* ad *d. tit. n. 1.* existimamus.

XXXVI.

Legati quoq; hostium sancti habentur, Pompon. *l. si quis. fin. de legation.* utpote, quorum jus cum hominum præsidio munitum, tum etiam divino jure vallatum est. Cic. *in tract. de baruss, resp. fol. m. 674.* Ideò si quis lega-

tum hostium pulfasset, contra jus gentium id commissum esse existimatur: & is, qui pulfasset, hostibus dedebatur, uti accidit Hostilio Mancino, licet à Numantinis receptus non sit. Pompon. in *d. l. fin.* Freig. in not. ad Cic. in *d. orat. ad verbum, Legatorum. fol. m. 691.* vid. Sleid. *lib. 5. fol. 73.*

XXXVII.

Quemadmodum jus in publicum & privatum dispescitur: §. *fin. Inst. de J. & J.* ita quoq; res humani juris in publicas & privatas dividuntur. Don. *4. comm. 11.* Publicæ in bonis privati alicujus non sunt, sed universitatis ipsius. Gaj. *l. summa. 1. in pr. b. tit.*

XXXVIII.

Ex qua generali rerum publicarum appellatione, trichotomia hæc propullulat, scilicet quod aliæ communes, aliæ publicæ, aliæ universitatis sint. *pr. Instit. b. 1.* Marcian. *l. quadam. 2. d. tit.*

XXXIX.

Communes sunt, quæ ex sui naturâ & origine æqualem præbent commoditatem, ut hominibus, ita & reliquis animantibus. Licet itaq; nostræ sint, tamen privatim ac propriè non sunt nostræ, sed nobis cum omnibus aliis communes jure naturali, *hoc est*, jure gentium. *pr. Instit. b. 1.*

XL.

Inter has recensentur primò aër, cujus usus communis est omnium, neq; privatim cujusquam propius, Vlp. *l. injuriarum. 13. §. si quis. 7. de injur. l. 3. ne quid in loc. publ.* Quamobrem ædes meas, si servitus non debeat, quantumvis in sublime tollere, & luminibus vicini officere licet. Vlp. *l. cum eo. 9. de S. V. P. l. 8. & 9. C. de servit.* ita tamen

tamen, ne usitatus altitudinis modus excedatur. *l. i. C. de
adif. privat.* Borch. ad *§. i. Inst. de S. R. & V. P. n. 46.*

XLI.

Secundò aqua profluens, quæ hoc loco non aquam
pluviam, uti Accursius, nec flumen ipsum, *§. 2. b. t.* sed
fluminis aquam, usum potandi & abluendi præbens, de-
notat, & à flumine hoc differt, quo pars à toto: ideoq;
illa aliquem prohibere omninò inhumanum est. Et de
hujus usu Ovid. *lib. 6. Metamorph.* Quid prohibetis aquas?
usus communis aquarum est.

XLII.

Tertiò mare commune omnium est, & per hoc lit-
tora maris. *§. 1. Instit. b. d. l. 13. §. 7. de injur.* Marcian. *l. 2.
§. 1. b. t.*

XLIV.

Et hinc facile intelligitur, res in prædictis conten-
tas, etiam naturali jure communes esse, utpote aves &
volucres in aère, in mari pisces, in littore maris gemmæ,
& similes alias. Florent. *l. item lapilli. 3. b. t.* Quare aucu-
pari, piscari, & navigare in mari, & ad littus appellere &
in eo opus aliquod facere, cuilibet liberum est. Cels. *l.
litora. 3. & Scævola. l. in littore. 4. Nequid in loc. publ.* Pom-
pon. *l. ergò, 30. §. fin. de A. R. D.*

XLIV.

Res publicæ, quasi populicæ appellantur propriæ,
quæ sunt populi Romani. Vlp. *l. 15. de V. S. ad usum no-
strum autem, Vocabulo converso, id publicum rectè di-
citur, quod alicujus populi est quasi proprium: quamvis
bona civitatis abusive quoq; publica vocentur.* Vlp. *l. bo-
na civitatis. 15. de V. S. & ibi Gæd. in fin.*

XLV.

Harum jus & qualitas partim in usu, partim in prop-
rie-

prietate cernitur. §. 2. & seqq. *Inst. b. t.* usus earum, utpote fluminum & portuum, est communis: sicuti viarum publicarum & litorum. *Vlp. l. fluminum. 24. in pr. de damn. infect. l. 1. §. 3. de flumin.* Pompon. *l. 1. de loc. & itin. priv.*

X L V I.

Quare etiam, in his cuilibet piscari, navigare, lavare, edificare, ac destruere, uti & per ripam onerare, atq; exonerare, similiter his facere permittitur: si modo alij eo ipso damnum nullum inferatur. *Vlp. d. l. fluminum. in pr. & l. 1. §. si quis. ne quid in loc. publ.* Idq; adeo verum est, ut actio jure civili ei competat, qui hujusmodi rerum publicarum usu prohibetur. *Vlp. l. injuriarum. 13. §. 7. in fin. de injur.* *Castrenf. in l. fin. de usurp. Du. Cothm. conf. 34. n. 5. & 6.* nisi ad usum accesserit prohibitio, longissimam temporis prescriptione munita, cujus initium non extat. *Myns. ad §. 1. b. t. per l. 4. C. de aq. duot.*

X L V I I.

Quod si pluribus non pateat liber piscandi usus, ut in diverticulo, ex flumine publico apud praedium privatum egrediente. *auff dem Beyströme/* qui primo pluribus annis, *hoc est,* 10 inter praesentes, 20. inter absentes, piscari capit, alios eodem jure uti prohibere potest, si modo in continuo piscandi usu se defenderit: *Marc. l. si quisquā. 7. de divers. & tempor. prescript.* ubi verò occupatio & usus desit, nulla hoc nomine praescriptio allegari potest. *l. prescriptio. 45. de usurp. & usucap. & ibi, Cujac. Cothm. d. loc. in pr. Diff. Dd. variè.*

X L V I I I.

Proprietas harum rerum, vel est populi Romani, ut fluminum & portuum. §. 2. *Inst. b. t.* vel singulorum, ut riparum. §. 4. *ead.* vel deniq; nullius, ut litorum publicorum. §. 5. *ead.*

XLIX.

Proprietas populi Romani in fluminibus & portibus ex eo intelligitur: quod in his non æquè, ut in mari, vel litore maris, cuiquàm ædificare licet, sine publicâ autoritate: imò, quamvis illa accedat, tamen quicquam facere, quo statio, vel navigatio deterioretur, non conceditur. Vlp. l. 2. *Et pass. ne quid in loc. publ. l. 1. §. non autem. 12. de flumin.*

L.

Singulorum verò proprietas in ripis, hinc elucet, quod, etiamsi naves eò appellere, ac onus reponere, cuiuslibet sit: tamen arbores ibi natas, nulli alij, præterquam dominis, quorum prædijs cõherent, cadere permittitur. §. 4. *Inst. b. t. Gaj. l. riparum. 6. in fin. pr. b. t.* quia ripæ solo cedunt, ex quo primum à plano vergere incipiunt usq; ad aquam. Paul. l. *flumina. pen. de flum.*

LI.

Quæsitum est, an is, qui in utrâq; ripa fluminis publici domum habeat, pontem privati juris facere possit? respondit Jct. quod non. Scævola l. *fin. d. loc. sic quoq; per viam publicam pontem facere non est permillum. Vlp. l. 2. §. 33. ne quid in loc. publ. ne via deterior fiat, hoc est, ne usus ejus ad commẽandum corrumpatur. Vlp. in d. l. 2. §. 32.*

LII.

Deniq; litorum proprietatem nullius esse (privati) exinde apparet, quod ejusdem cum mari juris sint. Quare etiam cuiuslibet liberum est, casam ibi ponere, in quam se recipiat, vel retia ex mari deducta siccare, ac aliud quidpiam, citra usus publici impedimentum, facere §. 5. *Inst. b. t. Gaj. in d. l. 5. b. t. Scævola l. in littore. 4. ne quid in loc. publ.*

C

3. Po.

LIII.

Postremò, quæ alterius, quàm Romanæ civitatis propria sunt, universitatis nominantur §. 6. *Inst. b. t. & duorum sunt generum: nam aut in usu sunt publico, aut in populi pecunia. Pompon. l. sed Celsus. 6. in pr. de contrab. empt.* Illius generis sunt, quæ publicis usibus serviunt: veluti fora, theatra, stadia, publica balnea, & si qua alia communia sunt civitatum. Marcian. *d. l. 6. §. 1.* hancq; qualitatem adnexam habent, ut civibus iis communiter inter se uti licitum sit, aded, ut locus in theatro à Titio occupatus, rectè ejus esse dicatur. Cic. *3. de fin.*

LIV.

Idq; in tantum obtinet, ut in campo ludere publico, vel in balneo publico lavare, vel spectare in theatro prohibitus, actione injuriarum uti possit: Vlp. *l. injuriarum. 13. §. fin. de injur.* loca enim publica utiq; privatorum usibus deserviunt, jure scilicet civitatis, non quasi propria cujusq;: & tantum juris habemus ad obtinendum, quantum quilibet ex populo ad prohibendum habet. Vlp. *l. prator ait. 2. §. loca. 2. ne quid in loc. publ.*

LV.

Res universitatis in pecunia populi, uti dictum est ex Pomponio, consistentes, ac usumfructum ei præbentes, sunt prædia & insulæ, itemq; peculia fervorum, reip. & vectigalia publica, scilicet portus, rerumq; vanalium. *l. 1. si ager Vectig.* itemq; salinarum, metallorum, piscariarum, vel picariarum, & similibus, quæ non tam publica esse, quàm inter publica haberi d. Jct. Vlp. *in d. l. bona civit. 15. de V. S. testatur.*

LVI.

Et ejusmodi bona civitatum, in patrimonio populi
con-

consistentia, vendere permittitur, ab eâq̄ venditione,
rite recteq̄ facta, recedere, etiam si melior postea offera-
tur conditio, nullatenus permissum est, nisi specialiter
de eo inter contrahentes convenerit. Anton. Imp. *l. si sine.*
j. & l. si qua, fin. de vendend. reb. civit. Dioclet. & Maxim.
l. ratas. 7. C. de rescind. vendit. Quod tamen ad res in usu
publico consistentes, uti sunt viæ publicæ, basilicæ, simi-
lesve, extendendum non est. Pompon. *l. sed Celsus. 6. in*
pr. ibi: sed in publico usu, de contrah. empt. siquidem judi-
cum prætoria, & publicas domos, oportet publico juri
atq̄ usui semper vindicari. Imp. Constantin. & Const. *l.*
prætoria. 4. C. de operib. public.

LVII.

Ad exemplum Reip. permissum est quibusdam, ha-
bere corpus collegij, vel communitatis: veluti sutorum,
pistorum, aliorumq̄ artificum: quibus præterea est pro-
prium, habere res communes, arcam communem, &
actorem, sive Syndicum, per quem, tanquam in Repub.
quod communiter agi, fieriq̄ oporteat, agatur, fiat. Gaj.
l. neq̄, societas. 1. §. quibus autem. 1. Quod cujusq̄ universi-
tatis nom.

LVIII.

Cæterum, si quid universitati debetur, singulis non
debetur, nec quod debet universitas, singuli debent.
Ulp. *l. sicut. 7. §. si quid. 7. d. tit.* Hinc Repressalias ob
sponsonem, vel debitum ipsius civitatis, in singulos ejus
cives non dari, dicendum videtur. Gothofr. ad *d. §. 1.*
Eâdem quoq̄ ratione, honos Universitati debitus, singu-
los non respicit: & juramento se obstringens capitulo,
vel Reipubl. singulis ejus membris, scilicet soli Præpo-
sito, vel Diacono, nec soli Consuli, seu senatori, neq̄

reliquis capitularibus vel senatoribus, sed toti capitulo,
seu toti Reip. est obstrictus. Obrecht. *disp. 4. tb. 71. & seq.*

LIX.

Hactenus de rebus, quæ extra patrimonium nostrum sunt, tractavimus, sequuntur jam privatæ res, ideo ita nominatæ, quod in singulorum, *hoc est*, privatorum dominio existunt, vel consistere possunt, *l. i. de A. R. D.*

LX.

Dominium autem (quod in directum & utile rectè dividi posse existimo. *arg. §. cum autem. fin. Inst. de usufr.*) nanciscimur vel jure gentium, vel civili jure. *§. singulorum. ii. Inst. b. t. Hermog. l. ex hoc jure. §. de §. & §. Juris gentium modos constituerunt alij plures, alij pauciores. Nos ad quatuor, omnes illos contrahimus, eoque cæteros referri posse existimamus.*

LXI.

Inter illos antiquissimus est occupatio, utpote à quo, secundum Nervam filium, dominium quoddam rerum profluxit: referente Paulo in *l. possessio. i. §. dominium q. i. §. dominium q. i. de A. R. D.* quod enim ante nullius est, scilicet tam juris, quàm possessionis ratione, Coras. ad *d. l. i. n. 7.* id naturali ratione primo occupanti conceditur. *§. fera. 12. Inst. b. t. Gaj. l. quod enim 3. in pr. de A. R. D.* quia quod omnibus nascitur, industriæ præmium Quintil. *declam. 13. dixit.*

LXII.

Occupatio sub se complectitur Venationem, *§. fera. 12. Inst. b. t.* inventionem, *§. 18.* & captionem ab hostibus. *§. 17. Inst. b.*

LXIII.

Venatio est vel terrestrium, viventium in terrâ ferarum:

rum: vel in aquis, ut piscium: vel aërium volatiliū.
Prior in specie dicitur venatio, subsequens piscatio, fina-
lis aucupium nominatur.

LXIV.

Aucupium omnibus permissum est, non solum in privato, sed etiam in publico, imò tam in proprio, quam alieno fundo, *d. §. 12. Inst. b. r. Gaj, d. l. quod enim, 3. §. nec interest. 1. de A. R. D. dummodò non inferatur damnum, arg. l. quasdam. 6. C. de metall.*

LXV.

Aves, feram naturam habentes, hoc modo captæ, quia nullius, & naturâ omnium communes sunt, primi occupantis fiunt: *d. §. fera, 12. J. b. r.* Nam si mansuetæ, aut cicures sunt naturâ, ut sunt anseres, & gallinæ cohortales, quas ali videmus, tum in villâ, tum in urbe, licet aliò avolent, nostrumq; effugiant conspectum, domini-um tamen non mutant. *§. gallinarum 16. J. b. Vlp. l. Pompon. 44. de A. R. D. uti nec aves naturâ feræ, operâ hominum verò cicurata, cujusmodi sunt pavones, & columbæ, quæ ex consuetudine avolare ac revolare solent, §. pavonum. 15. J. b. Gaj. d. l. §. pavonum. 5. de A. R. D. Cujus generis etiam sunt apes, quæ ejusdem cum aliis cicuratis animalibus propemodum naturæ esse censentur, §. apium quodq; 12. J. b.*

LXVI.

Quæ cum omnia tam diu nostra sunt, hoc est, animo occupari & possideri intelliguntur: quamdiu ad nos commeari ac remeare consueverunt: *d. l. §. §. 5. in med. d. tit. idè vi ea apprehendens, aut clam eripiens, aver-tensq; animo lucrandi, furti nobis tenebitur. Gaj. d. l. §. §. 6. in fin. d. tit.* Sin verò consuetudinem redeundi dese-

ruerint, & in naturalem libertatem se receperint, ab alijs, utpote in nullius bonis existentia, impunè occupari possunt. Gaj. *d. l. 5. §. 5. in fin. eod.*

LXVII.

Dicta aucupia in fundo alieno, licita sunt, dummodo quis fundum ingredi, à domino non prohibeatur. Callistr. *l. Divus. 16. de S. R. P.* Gaj. *d. l. 3. §. 1.* Prohibitione spretâ, in fundo aucupium exercens, quod capit, omne quidem suum facit (nisi fructus fundi constet ex aucupio. Cels. *l. item si fundi. 10. de usufr.*) nec à domino retineri in fundo potest: Verum ab actione injuriarum tutus non est. arg. *§. sed & lex Corn. 18. Inst. de injur.* Gaj. *l. quod enim. 3. in fin. pr. de A. R. D.* nam in alienum fundum ingrediendi potestas, nisi constitutâ servitute, nec mini permittitur. Callistr. *l. divus. 16. de S. R. P.* Dioclet. & Maxim. *l. per agrum. 11. C. de servit. & aq.*

LXVIII.

Jus piscandi quoque commune est omnibus, in mari, ac publico flumine. *§. flumina. 2. Inst. b. t.* & quidem adeo, ut contra prohibentem injuriarum actionem competere. Vlp. in *d. l. injuriarum. 13. §. fin. de injur.* scribat.

LXIX.

Sed non etiam ut aucupari in fundo alieno, ita piscari in rivo, aut flumine privato licet: Vlp. in *fin. d. l. 13.* illo etiam casu volentem piscari, dominus prohibere, & contra eum interdicto *uti possidetis*, agere potest. Paul. *l. sanè. 14. d. tit.* Quod si quis in flumine alieno non circumscripto pisces capiat, is pro ratione facti, & conditione personæ cujusquam, vel in ære, vel in corpore, judicis arbitrio, punitur. Ex vivario autem pisces auferens, furti obligatur. *V. H. D. Art. welcher auß Deichern 169. & ibi Vigel. c. 8. Excep. 7. f. m. 285.*

LXX.

Jus venandi quod attinet: illud liberum est omnibus *d. f. fera. Inst. h. t. Gaj. d. l. 3. §. 1. de A. R. Dom.* tam in solo publico, quam privato, tam in proprio, quam alieno. *d. §. 12. & d. l. 3. §. 1.* Idem in tantum procedere multi inter se contendunt, ut ne quidem Principem cuius in loco publico venandi potestatem adimere posse, asserat. *Schurf. con. 1. nu. 12. cent. 3. & alij.*

LXXI.

Quæ sententia de jure civili veteri quidem procedit, verum hodiè jure novo, & consuetudine, isti juri multum detractum est. *c. nemo retia. in tit. de pac. ten. in usib. feud.* Ac in fundo quidem suo unusquisque dominus jure quodam suo, prohibere potest venationem. *Gaj. in d. l. 3. §. planè. de A. R. D.* sed ne quis in loco publico venetur, solus Princeps aut magistratus is, penes quem est ejus loci Jurisdictio, cum qua venatio plerumque conjuncta est, prohibet, arg. *l. pupillus. 239. §. territorium. 8. de V. S. Paul. l. extra. fin. de jurisd.* Saltus namque & nemora, in quibus feræ liberè vagantur, sunt loca publica: adeoque in jure & imperio sunt populi Romani: lege autem Regiâ, omni imperio ac potestate Principi concessâ *Vlp. l. 1. de constit. princ. §. sed & 6. Inst. de jur. N. G. & C.* etiam jura publica in eum translata esse, dubitandum non est: quare, qui solus habet jus imperij, is quoque bona publica suo quodam jure possidet. *Celf. l. litora 3. ne quid in loc. publ. l. de precatio. 9. ad l. Rbod. de jact.*

LXXII.

Hinc fit, ut, dum princeps in locis publicis, tanquam in suis & privatis, licentiam venandi sibi usurpat: aut aliis inferioribus Romani Imperij Principibus, Equitibusque,

busq̄, nobilibus, beneficiarijs, jus venandi, seu Foresti
(vulgò *Gejagt/ Fürst/ oder Wildbahnrrecht*) cum bonorum
procuracione, ut op̄ra militaris quasi præmium & au-
ctoramentum, dat & permittit, alij è contra adimit, nul-
li injuriam facere videatur, propterea, quod jure sibi à
legibus concessio utatur. Gaj. *l. nullus 55. de R. J.* Alias
namq̄, si jure communi ei uti non liceret, deteriore lo-
co, quam privatus quispiam futurus esset: Dd. in *l. item
veniunt. 22. §. in privatorum. de pet. hered.* siquidem in
fundo privati alicujus, sine domini assensu venari non
licere, supra dictum est. Vid. *l. Divus. 16. de S. R. P.*

LXXII.

Hoc autem posterius non attenditur, si jus in fundo
alieno, usu & tempore immemoriali. Cujus initij me-
moria non extat, præscriptum sit: illud namq̄ rectè fieri
posse, juris est indubitati. *l. 1. in fin. de aq. pluv. arcend.* Se-
bass. *Med. de Venat. p. 2. q. 1.* Wes. in *parat. ad b. t. num. 7.*
Itaq̄ tali casu, nec cujusquam consensu, nec justæ causæ
allegatione, propter quam possideatur, quam vulgò ti-
tulum appellant, opus est. Vlp. *l. si quis diuturno. 10. in pr.*
& ibi Dd. *si serv. vind.* Præscriptio enim temporis lon-
gissimi, neq̄ titulo, neq̄ bonâ fide indiget amplius, sed
solummodo possessio est necessària. Imp. Valent. in *l. 2. de
præscript. 30. vel 40. annor.* imò vetustas pro jure & causâ
accipienda est. Scævola in *l. fin. de aq. & aq. pluv. arcend.*

LXXIV.

Quæ licet ita sint: tamen Tyrannos, & efferos
Actæones, contra mandata sua venantes, ferasq̄ capien-
tes, ultimo supplicio qui afficiunt, non probamus, neq̄
severitatem Galeatij Sfortiæ, quâ colonum, leporem
captum, crudum cum pelle devorare cœgit, ex quo
mor-

12

mortuus est, laudandam: moremque Henrici Secundi, & Richardi. I. Anglorum Regum, oculis & genitalibus regias feras capientes, multantium, haud æquum fuisse existimamus cum Arnis. *de jure venand. n. 3. fol. m. 523.* licet in casu contemptus superioris, pro modo contemptus, delinquentem, pœna corporali puniri posse, statuat Seb. Med. *d. tract. p. 1. q. 5. n. 7. in fin.*

LXXV.

Unde contra Edictum Principis pluries venientem, & planè incorrigibilem hominem, aliquando ultimo posse adfici supplicio, nonnulli statuunt *ex. l. 1. C. de superexaction. ut ita unius pœna, sit plurium metus. l. aut facta 16. §. nonnunquam. fin. de pœn:* Interim verum manet, quod animæ hominum quibuscunq; rebus sint pretiosiores, *l. sancimus. 21. C. de SS. Eccles. ac pœnæ delictis debeant commensurari, secundum J Ct. in l. 11. de pœn.*

LXXVI.

Quod autem supra dictum est, de ferarum captatione, scilicet eas fieri primi occupantis: eò pertinet, ut ejus tam diu sint, quamdiu ab eo tenentur, vel custodiã coercentur: *d. §. fera. 12. Instit. b. t.* nam quando evaserunt ejus custodiam, alterius patent occupationi. *d. §. 12. Gaj. in d. l. 3. de A. R. D.* Quapropter fera ab aliquo vulnerata, non prius ejus fit, quàm si eam ceperit: *§. illud quæsitum. 13. Inst. b. t.* nam spe & animo, ferarum dominium non acquiritur, sed manu & occupatione: *Procul. l. in laqueum. 55. d. tit. multa enim accidere possunt, ut eas non capiamus d. §. illud quæsitum. 13. Inst. b. t.*

LXXVII.

Ad occupationem quoque pertinet deprædatio bellica,

C

ca,

ca, siquidem in bello iusto & legitimo, ex hostibus capta, eodem jure statim fiunt capientium. *§. item ea. 17. Inst. b. t.* siue sint res, siue personæ. *d. §. 17.* Hæ ex captivitate soluta, jure postliminij, pristinum recuperant statum. *Gaj. l. adeo quidem. 7. de A. R. D.* Verùm hodiè jure captivitatìs, & postliminij in dissensionibus civilibus cessante: capti, aut ære sese liberant: vel ad tempus certum militiam abjurant. *Alciat. in l. hostes. 118. de V. S. Dd. comm. ad d. §. 17. Hering, de fidejuss. c. 7. n. 537. fol. m. 215.*

LXXVIII.

In bello autem capta, non omnia indistinctè capiendum fiunt, sed mobilia tantum: quia immobilia publicata, adjudicantur fisco: *Pompon. l. si captivus. 20. in pr. de capt. & postlim. vel ab Imperatore veteranis, in præmia assignantur, Paul. l. Lucius. 11. in med. de Eviction.*

LXXIX.

Magnam cum occupatione adfinitatem habet, inventio, illiusquæ veluti pars quædam est: nam hæc æquè, ut illa, res nullius, jure gentium protinus eorum fiunt, qui primùm possessionem earum adprehenderint, *Paul. l. possessio. 1. §. 1. de acquir. vel amitit. poss.*

LXXX.

Et non tantum res naturæ communes, sed etiam aliæ, quæ alicujus sunt, quarum dominus ignoratur, huc pertinent. Illæ sunt gemmæ, & lapilli pretiosi, vel quæcunquæ res aliæ, in mari, vel ejus litore natæ ac inventæ, quæ statim inventoris fiunt: *§. in lapilli. 18. de R. D. Nerat. l. quod in litore. de A. R. D. hæc à domino, necessitate cogente, projectæ, vel eo ignorante, amissæ, dominium non mutantur, idèò quod in errore, aut ignorantia voluntas nulla censeatur esse. Vlp. l. si per errorem. 15. de Jurisdict.*

Idem

13
Idem in *l. consensisse. 2. in prin. de judic. & sic in illis merito cessat acquisitionis ratio. §. fin. Inst. b. tit.*

LXXXI.

Quare in tempestate maris, causa levandæ navis res ejectæ, vel in incendio in publicum projectæ, domini manent. Javolen. *l. interdum. 21. §. quod ex naufragio. 1. de acquir. poss. Vlp. l. si finita. 15. si quis metu. 35. de damn. infect.* adeò, ut qui ejusmodi rem invito domino, lucri faciendæ gratia, contrectet: furti obligetur, nimirum ad pœnam quadrupli intra annum: post annum verò, ad simplum: Vlp. *l. 1. & 3. Gaj. l. si quis. 5. ff. de incend. ruin. & naufr.* Imp. in *l. fin. C. de furt.* siquidem publicè interest, nihil rapi ex hujusmodi casibus. Vlp. in *d. l. 1. §. hujus edicti. 1. d. tit.*

LXXXII.

Hinc facile colligimus, quid de naufragiorum compendio, olim in Germaniâ usitatissimo, non in mari solum, sed etiam in Albi & Rheno, quo domini territorij, quod flumen alluit, utentes, res litori adpulsas, sibi vendicarunt, statuendum sit: illa namq; consuetudo non tantum irrationabilis est, sed etiam contra expressam juris dispositionem. *l. 1. C. de naufrag. lib. 11.* inoleverat: quare merito Imper. Frideric. II. Auth. *Navigia. C. de furt. & Constit. sua de stat. & consuetud. contr. libert. Eccles. edit. §. navigia. 9.* eam abolevit, & scienter res projectas retinenti, publicationem omnium bonorum dictavit. *dd. textib.* Illud etiam Carolus V. generali constitutione fecit, quæ continetur in *der N. H. D. art. 218. vers. desgleichen an vielen.*

LXXXIII.

Cœteroquin, quicumq; rem inventam celat, lucrandi

D 2

ani-

animo, furtum committit, siue sciat, cuius illa sit, siue id ignoret: quum satis constet, id quod nostrum non est, ad alios omnibus modis pertinere. Vlp. in *l. falsus. §. qui alienum. de furt.* Justin. in *l. fin. C. unde vi.* Ad pœnam autem furti evitandam, inventor libellum continentem proponat, se invenisse, ac redditurum ei, qui desideraverit: Vlp. in *l. falsus. 43. §. proinde 8. vers. solent. ff. de furt.* aut qui suam esse, certis quibusdam signis atq; indicijs testatum fecerit. Dd. in *§. fin. f. b. t.*

LXXXIV.

Si verò dominus non appareat, & inventor inops sit, eam retinere poterit, si dives, rectius fecerit, illam in manus pauperum erogando. Auth, *omnes peregrini. C. comm. de succes.*

LXXXV.

Quid ergò? si inventor *ευπερεα*, id est, inventionis præmia, quæ dicunt, petat? sanè pretium tale honestius recipitur, quàm petitur: Vlp. *d. l. 43. §. 9.* nisi quis conquirendæ rei causa singularem operam impendisset, tunc enim non denegandum esse, æquitas suadet. arg. *l. 4. §. 4. de condict. ob turp. vel injust. caus.*

LXXXVI.

Porro videndum est, quid juris sit de inventione thesauri, cuius alia, quàm præcedentium rerum est natura. Wcf. ad *§. thesauros. Inst. b. t.* Eum Paulus definit, ut sit vetus pecuniæ depositio, cuius non extat memoria, ut jam dominum non habeat. *l. nunquam. 31. §. thesaurus. 2. de A. R. D.* Leo Imp. Thesaurum definit, condita ab ignotis dominis tempore vetustiore mobilia. *l. un. C. de thes.*

LXXXVII.

Videndum autem, num quis in suo, vel alieno loco the-

14
thesaurum invenerit *d. §. thesauros. 7. b. t.* Quod si quis
in suo loco (intellige, vel pleno jure, vel utili) fortuito,
vel datâ operâ, non arte aliquâ illicita, Leo in *d. l. un. §.*
ibi Gloss. in verbo, arte. C. de thesaur. invenerit, tunc ex asse
thesaurum suum facit. *d. §. thesauros.* Sin verò in loco
alieno, ex semisse tantum inventoris thesaurus efficitur.
d. l. un. d. §. 7. Tryph. l. si is qui. §. 3 de A. R. D.

LXXXVIII.

Hoc posterius tum demum procedit: si fortè fortu-
na arando, aut colendo, aut alio quocunq̃ licito mo-
do quis thesaurum in alieno invenerit solo: *d. l. un.*
C. de thes. d. l. si is qui. de A. R. D. E contra cum solius effi-
cit domini: *d. l. si is qui. 63. d. l. un. C. b. t.* tantum enim ab
est, ut quicquam de eo repertor participet, ut etiam
pœna dignus potius, quàm præmio esse videatur, Vlp. in
d. l. injuriarum, de injur.

LXXXIX.

Idem juris est, si in loco publico thesaurum quis for-
tuito repererit: quo casu inventor, cum fisco æqualiter
ponitur ex D. Adriani rescripto, cujus Edicti verba Æmi-
lius Spartianus in ejus vita, hoc modo refert: Adrianus
(inquit) de thesauris ita cavuit: ut, si quis in suo reperisset,
ipse potiretur, si quis in alieno; dimidium dominus daret,
si quis in publico; cum fisco æqualiter potiretur. Notom.
ad pr. d. §. thesauros. 39. XC.

Quod idem quoq̃ locum habet in thesauro, in loco
sacro, aut religioso publico invento. Callistr. *l. 3. §. fin. §.*
ibi Dd. de jur. fisc. Frid. Imp. constit. in c. un. in fin. Que sint
regal. in usib. feud. 2. tit. 56. in fin.

XCI.

Quod si tamen locus ille suus, aut proprius fuerit: ut
si sepulchrum sit hereditarium, fit thesaurus ejus, cujus

est fundus, tanquam in suo repertus *d. §. 35. Instit. b. t.*
maximè, si quasi beneficio fortunæ is oblatu fuerit, nul-
lo perscrutandi studio adhibito, quod prohibitum est,
ne sepulchrorum violandorum detur occasio. *d. l. un. C.*
de thes. Vlp. l. offa. Marc. l. Divi fratres. de religiof. l. 4. §. 3.
ad l. jul. pecul. Quanquam enim loca sacra & religiosa
propriè in nullius bonis sint, tamen quodammodo ejus
esse videntur, in cujus fundo sunt, & quorum majores in
eis aut sacra solennia constituerunt, aut sepulchra sibi
elegerunt. Cai in *l. familiaria, s. l. 10. de relig. & sumpt. fun.*
Vlp. l. 1. §. facere 7. & tot. tit. de mort. infer. Hillig. in Do-
nel, Enucl. 4. comm. 14. lit. f. in fin. not.

LCII.

Atq; hæc omnia tum demum procedunt, quando
nullis argumentis constat, quo depositore pecunia sit
recondita: *Nebelstrå decis. 9. p. 112.* quia, si ex inventâ si-
mul epistola appareat, vel aliis certis documentis, vel
fortassis testibus, cujus ea sit, probari possit: non ad in-
ventorem, sed deponentem, aut ejus heredes. *l. cum heredes.*
de Acquir. poss. l. heres in omne. de acquir. hered. adver-
sus quos nulla potest objici præscriptio, quantumvis im-
memorialis temporis, pertinet: *l. thesaurus. ad exhib.*
Scævola. in l. à tutore. de R. V. Papin. in l. peregrà. de acquir.
poss. Just. Zinzerling. Jct. eximius & Dicasterij Megapol.
Adessor dignissimus in dissertatione sua de Thesaur. tb. 12.
neq; enim ulla præscriptio sine possessione currit. *Mo-*
dest. in l. 3. de Usucap. & usurpat.

LCIII.

Quid verò dicendum de mercenario conducto, ad
fodiendum in nostro fundo si is fortuito thesaurum in-
veniat? illi dimidium inventæ pecuniæ relinquendum

cxl.

15
existimamus. Tryph. l. 63. de A. R. D. quia alij rei operam
in sumebat, & fortuna aliud dabat. d. l. 63. §. quod si servus.
3. vers. nemo enim, d. tit.

LCIV.

Et cum supra, tb. 87. in suo thesaurum inveniensem,
ejus solius esse dictum sit: extra dubium quoque est, quod
qui heri domum mercatus, hodie in eam thesaurum inveni-
nit, illius efficiatur dominus. Scævola in l. à tutore. 67.
de Rei Vind. non ut portionis domus: sed rei extrinsecus
accidentis, nihilque cum domo commune habentis. arg. l.
possideri. 3. §. Neratius. 3. de acquir. poss. vid. Zinzerl. d.
dissert. tb. 33. ubi plurima hanc in rem exempla elegan-
tissima enumerat.

LCV.

Et hactenus de inventionem dicta, ita accipienda, ut
tum demum invenisse intelligatur, qui veluti in rem
presentem venit, ejusque quasi possessionem adeptus sit:
Dd. in d. §. 39. inventio namque occupationem continet:
Procul. l. in laqueum. 55. de A. R. D. hucque pertinet regula:
Verba cum effectu intelligenda sunt. Vlp. in l. hoc edi-
ficium. 1. §. hæc autem verba. 2. quod quisque, jur. in al. stat.

LCVI.

Secundus dominij acquirendi modus est accessio,
qua quid rei nostræ, tanquam principaliori, velut acces-
sorium accedit. c. accessorium de R. J. in 6to. Paul. l. in rem
actio. 23. §. item quacunque, 5. de R. V. Eaque est vel naturalis,
vel industrialis. Vult. 1. §. R. c. 70. n. 35.

LCVII.

Ad illam pertinent fetus, sive procreatio anima-
lium nostrorum, alluvio, & alveus vetus. Faturam quod
attinet, de ea ait justinianus; Quæ ex animalibus fœmi-
nis,

21
nis, dominio nostro subjectis, nata sunt, jure gentium nostra fiunt, §. *item ea. 19. Inst. b. t.* Et tum inter irrationabilia & rationabilia non distinguimus: Huc fac. §. 4. *Inst. de jur. pers. Venul. l. cum pragnans. fin. b. t.* neq; ut pecorum, sic etiam ancillarum nostrarum partum in fructu esse dicimus. §. *in pecudum. 37. J. b. tit.*

XCVIII.

Alluvione seu incremento latente, §. *præterea. 20 J. d. tit.* quod paulatim fluminis motu agro adjicitur nostro, id nobis quoq; jure gentium acquiritur. Gaj. *l. adeo. 7. §. præterea 1. b. tit.* Imp. Gordian. *l. quamvis. 1. in. f. C. de alluv. & paludib.*

XCIX.

Secus obtinet in parte aliqua, repentino impetu, vi fluminis, fundo meo adjecta: §. *quod si. 21. J. b. tit. ea* etiam, nisi tempore longiori fundo meo hæserit, cum mea terra coaluerit, arboresq; tractæ, in eam radices egerint, domini prioris manet: quare illam cum omnibus importatis vindicare potest, dummodo mihi damni infecti, & de præterito quoq; damno, si quod acceperim, caveat. Vlp. *l. hoc amplius. 9. §. Alfenus. 2. & seq. de damn. infect.* Ulp. *l. si quis. 4. §. ea qua. fin. ff. de reb. cred. si cert. pet.*

C.

Sic quoq; alveus à flumine relictus, eorum, quorum proxima sunt prædia, proprius fit, pro modo scilicet latitudinis cujusq; prædij, quæ latitudo propè ripam fit: §. *quod si. 23. J. b. tit.* Gaj. *l. adeo. 7. §. quod si. 5. b. tit.* novus autem alveus fit juris publici: & si postea à flumine relinquatur, stricto jure inspecto, cederet proximis prædiis: sed ex bono & æquo prioribus dominis restituitur. Jct. *d. l. 7. §. 5. & seqq. d. tit.* Inundatio autem fluminis non

non mutat agri, speciem: proinde recedente aqua, ager ipso jure, veteri domino restituitur. Pompon. l. si ager. 23. in fin. quib. mod. ususfr. vel us. amitt.

C I.

Industrialis accessio, est rei alienæ cum sua commixtio: per quam id, quod additum est, vel adjunctum, toti cedit, veluti accessio principali, sine quo ea esse non potest. Paul. d. l. in rem. 23. §. 5. de R. V. Paul. l. cum principalis. 178. de R. J.

C II.

Et fit potissimum adjunctione: qua dominium acquiritur, quoties alicujus rei ornandæ, augendæq; causa aliquid adhibetur: in qua non quantitas, sed qualitas spectatur. §. si tamen alienam. 26. §. b. tit. Paul. in d. l. 23. §. item quæcunq;. 5. de R. V. Vlp. l. cum aurum. 19. §. perveniamus. 13. de aur. & arg. leg. Qua ratione aliena purpura, licet ea pretiosior sit, accessionis vice, cedit vestimento: & gemma inclusa cedit auro, cujus major est species. Vlp. d. l. cum aurum. 19. §. perveniamus. 13. de aur. & arg. leg.

C III.

Itaq; eo casu, quæcunq; aliis juncta, sive adjecta, accessionis loco cedunt, quamdiu coherent, dominus ea non vindicare, sed ad exhibendum agere potest, ut separantur, tuncq; vindicentur, Paul. l. in rem. 23. §. 5. in pr. de R. V.

C IV.

Inspiciendum autem tunc, num bona, vel malæ fide sit facta accessio. Illo casu, si accessio à re principali separari nequit, actio ad exhibendum, & conditio sine causa, domino datur: hoc verò, etiam actio furti pænalis, & conditio furtiva ei competit. Paul. in

E

d. l.

d. l. 23. §. 5. & l. gemma. 6. ad exhib. §. si tamen. 26. Inst. b. tit.
Nec refert, rem videri quodammodo extinctam esse. ve-
luti si brachium ferruminatione statuæ meæ adjunctum
sit, unitate majoris partis consumi constat. Nam si mi-
nus, tunc non vindicari, at condici potest, etiam à
fure, aut quovis alio possessore. *d. §. 26. Institut. b. tit.*
in fin.

CV.

Eodem jure gentium ut pars toti, ita superficies ce-
dit solo, tanquam subjecto, sine quo non. Vlp. *l. qui do-
mum. 50. ad l. Aquil.* Ideoq; ædificium, & plantæ & sata,
quæq; ad dominum soli pertinent. *§. cum in suo. 29. b. tit.*
Gaj. l. adeo. 7. §. cum in suo. 10. b. tit.

CVI.

Ædificatione acquirimus dominium, siue bona, siue
mala fide, ædificemus: nec refert, utrum in proprio, an
alieno solo: neq; utrum ex nostra, vel aliena materia
ædificium construamus: quoniam solo in ædificatum,
omne eidem cedit. *Gaj. d. l. adeo. 7. §. cum in suo. d. §. 29.*
Instit. b. tit.

CVII.

Quod si ex materia aliena ædificem in meo, ædificij
dominus ego quidem sum: non tamen materia, quæ
ipsa per se, solo non cohæret, Vlp. *l. 1. de tign. junct.* Paul.
d. l. in rem. 23. §. 1. & 6. de R. V. & l. gemma. 6. ad exhib. Il-
la, quoad in eadem causa manet, actione in rem à do-
minis vendicari nequit: *Jct. d. l. 23. §. dignum. & d. l. gem-
ma. 6. §. 1. cum l. seq.* ex causa verò ædificio diruto, is ad
exhibendum poterit agere, ut postea vindicetur: nulla
obstante præscriptione. Paul. *d. l. in rem. 23. §. fin.* *Gaj. d. l.*
adeo. 7. §. 10. Paul. l. qui universus. 30. in pr. de acquir. possess.

108, Quod

CVIII.

Quod si materiæ dominus expectare nolit, quoad ædificium dissolvatur? utatur contra ædificantem actione de tigno juncto in duplum. *d. §. cum in suo. 7. Gaj. d. l. adeo. §. 10. Vlp. d. l. 1. & pass. de tign. junct.* Quo casu tamen distinctio non est negligenda: utrum quis sciens, an ignorans tignum alienum suis junxerit ædibus. *Vlp. d. l. 1. tign. junct.* priori casu, actione de tigno juncto in duplum tenetur, saltē pro pœna: quoniam furti nec manifesti esse videtur actio, ac præter pœnam dupli, etiam ad exhibendum actio, vel rei vindicatio, quasi dolo possidere adversarius desierit, adversus eum conceditur, adeoq̃ in omne id, quod interest actoris, & quod jurejurando ejus, in litem æstimabitur, condemnatur. *Paul. d. l. in rem, §. tignum. Vlp. d. l. 1. §. fin. & l. 2. de tign. junct. l. 1. §. fin. de furt.* Hoc verò casu, nec vindicatione tenetur, nec ad exhibendum actione, quoniam cessat in eo color ille, quasi dolo desierit possidere; sed in duplum tamen nihilominus tenetur, pro materiæ pretio: quia materiæ dominus invitus quodammodo eam vendere cogitur, & fortassis cum incommodo aliquo suo, aut detrimento, eaq̃ tunc actio non, ut in illo, merè pœnalis, sed mixta esse intelligitur: & ob id infamiæ expers est. *Vlp. d. l. 2. de tign. junct. Paul. d. l. gemma. 6. ad exhib. Gaj. d. l. 7. §. 10. Marcell. l. tutor. 8. de in lit. jurand.*

CIX.

Si tamen furtivum tignum non sit: sed domino sciente fortassis inclusum. actio de tigno juncto in duplum cessat, & saltem ad id, quod interest, actio infamum datur prætoriam. *Paul. l. de eo. 63. de donat. int. vir. & uxor. l. qui res. 98. in fin. de solut.*

CX.

Planè ut ædificium solo cedat: & immobile & privatum illud esse oportet. Vlp. *l. fundi. 17. §. Labeo. 7. Javolen. l. granaria. 18. de act. empt.* Quò fit, ut si mobile ædificium aliquod, puta horreum frumentarium, ex ligneis tabulis in alieno sit positum prædio; quoniam solo non cohæret, ne à malæ quidem fidei possessore alienatum esse intelligatur, & ob id soli domino cedat. Javol. *d. l. granaria in pr.* Scæv. *l. Titius. 60. de A.R.D.*

CXI.

Proinde ut & in loco sacro vel publico, si ædificium aliquod nemine prohibente extructum sit, neutiquam solo cedit: sed si forte usu publico obstat, utiq; viocurus hoc deponere: sin minus, saltem vectigal ei imponere debet, fisco applicandum, quod ex eo solarium appellatur. Vlp. *l. prator ait. 1. §. si quis nemine. 17. ne quid in loc. publ.*

CXII.

Porro quæ ædificationis, eadem quoq; plantationis, & sationis ratio est: in qua etiam superficies solo cedere intelligitur: cujus ea, veluti pars quædam esse incipit. Gaj. *d. l. 7. §. fin. & l. qua ratione. 9. in pr. de A. R. D. §. qua ratione. 32. J. h. tit.*

CXIII.

In plantatione autem videndum, num arbor radices egerit, nec ne? quia hoc casu ejus permanet, cujus fuit: & ob id dominus vindicare eam rectè potest. Gaj. *d. l. adeo. 7. §. fin. Paul. l. sed et si. 26. de A. R. D.*

CXIV.

Deindè arboris quoq; dominium plerumq; ex radice, interdum etiam ex situ ejusdem æstimatur, Gaj. *d. l. adeo.*

adeò. §. *fin. in fin.* Nam si arbor in confinio posita, utrinque radices egit, est communis, pro regione cuiusque prædij. Marcell. l. *pro regione.* 8. de A. R. D.

CXV.

Sin verò arbor propè confinium posita, solum vicini ita premat, ut ei quasi inhærescat, immixtis radicibus, & ex eo tota alatur, sanè, tunc arbor ea, vicini efficitur. Gaj. d. l. *adeò. §. fin. vers. his conveniens est. §. si Titius.* 31. *vers. adeò autem.* quoniam ratio naturalis non permittit, ut alterius sit arbor, quam ejus, cujus in solo radices egerit. d. §. *si Titius.* 31.

CXVI.

Sin denique non omnibus, sed quibusdam radicibus tantum vicini arbor alatur: ejus manet, cujus in fundo origo ejus fuerit. Pompon. l. *si plures.* 6. §. *si arbor.* 2. in *fin. l. si gemina.* 20. de *arbor. furt. cas.* Venul. l. *fin. quod vi aut clam.* Quo tamen casu, si sit cognitum, radices, vel umbram arboris vicino prædio nocere: ex ædicto de arboribus cædendis, succidere eam, lignaque tollere conceditur; quatenus denunciatione prius facta, dominus ipse eam succidere, vel adimere noluerit. Pompon. d. l. *si plures.* 6. §. *si arbor.* Vlp. & Pompon. l. 1. & 2. de *arbor. cad.*

CXVII.

Huc quoque non incommodè referri potest scriptura & pictura: quarum utraque superficièi nomine continentur; & ob id, chartæ vel tabulæ, quasi solo, cedunt. §. *litera.* 33. & §. *si quis in aliena.* 34. b. t. Gaj. d. l. *qua ratione.* 9. §. 1. & 2. Paul. l. in *rem.* 23. §. 3. de R. V.

CXVIII.

Quæ sententia rationi naturali quidem vera est: quoniam secundum Paulum, necesse est ei rei cedere id,

quod sine illa esse non potest: adeoq̄ regulariter, ut Gajus Junior loquitur, superposita inferioribus cedunt. Paul. *d. l. in rem. §. sed & id. §. l. justissimè. 44. de adit. edict.* Diversum tamen Gajus noster statuit: cujus sententiæ adstipulatur Imp. Justin. in Inst. nimirum: tabulam picturæ cedere, saltem ob pretium picturæ, quod non tam in substantia, quam in arte positum est, & plerumq̄ superat ipsius tabulæ pretium. Gaj. *d. l. qua ratione. 9. §. sed non.* Paul. *l. Labeo. 14. de V. S. §. si quis in aliena. Inst. b. tit.*

CXIX.

Itaq̄ hoc casu uterq̄ dominus rei vindicationem habet; pictor quidem directam: Dominus verò tabulæ, utilem: uterq̄ etiam, nisi paratus sit alteri pretium reddere, si quidem bona fide possideat: exceptioni doli mali repelli potest. *d. §. si quis in aliena. 34. J. b. tit. Gaj. d. l. qua ratione. 9. §. 1. in fin. §. 2. vers. adversus dominum.*

CXX.

Sed quid, si uterq̄ Dominus picturam sibi suo quodam jure vindicet; utri ea cedere debeat, pictori, an domino tabulæ? & verius est, pictori eam cedere debere, etiamsi non possideat: dummodo is pretium tabulæ domino offerat: licet alioquin in pari causa possessor potior haberi debeat. Vlp. *l. 1. §. is autem. de superficiib. Vlp. l. nemo 126. §. fin. Paul. l. in pari 128. de R. J. c. in pari. 65. de R. J. in 6.*

CXXI.

Cæterum, exemplo picturæ, atq̄ ad eò consuetudine magis, quam juris ratione, hodiè receptum est, ut charta vel mēbrana cedat scripturæ: perinde ut tabula picturæ: quoniã, autore Gajo, plerumq̄ plus est in manus pretio, quam in re, ut multo æquius videatur, pictorem aliam tabu-

tabulam, & scriptorem aliam chartam vel membranam reddendo, aut pro his pretium persolvendo, liberari. Vlp. *l. mulieris. 13. §. res abesse. Paul. l. Labeo. 14. de V. S.*

CXXII.

Ad hanc classẽ quoq; non inconveniẽter referri potest, jus possessionis & fructuum perceptionis, quo & ipso dominium per accessionem naturali jure acquiritur. § *si quis à non domino. 35. J. b. tit. l. certum est. 22. C. de R. V. Paul. l. bona fidei. 48. de A. R. D.*

CXXIII.

Fructuum autem appellatione, & jus & corpus continetur: Julian. *l. Vacca. 43. de evict. & fructus, quatenus jus est in corpore, idem est, quod ususfructus, de quo in pr. Inst. de usufr. quatenus verò ut corpus consideratur, aut est juris, aut naturæ. Papin. l. si navis. 62. de R. V.*

CXXIV.

Illius generis sunt usuræ, & pensiones prædiorum, quæ propriè fructus non dicuntur: posterioris verò sunt, fructus arborum, & fruges segetum, & fetus animalium, qui ex re ipsa nascuntur, & fructus propriè appellantur. *Gaj. l. videamus. 19. in pr. & l. in pecudum. 28. Vlp. l. usura. 34. & l. prædiorum, 36. Paul. l. videamus. 38. §. 13. de usur. & fructib.*

CXXV.

Et hi vicissim in duo discescuntur genera: nam aut sunt naturales, veluti fructus pratorum, aut sylvarum: aut industriales, ut fructus pecudum, segetum, vitium, & similes. Illos sponte sua & natura; hos culturâ & cura hominum nasci constat. *d. §. si quis à non domino. 35. Inst. b. tit. Pompon. l. fructus, 45. de usur.*

CXXVI.

Ad perceptionem fructuum multum refert, utrum
bo.

bonæ, an malæ fidei possessor sit. Paul. d. l. bona fidei. 48.
de A. R. D. Ille, omnes fructus, ex ipsius facto provenien-
tes, pro cultura & cura percipiendo, facit suos: d. l. 48.
in pr. hac tamen in eo distinctione observata: quod si
jam consumpti sint; omnimodò eos lueratur: sin adhuc
extant, interim facit suos, quoad res evincatur, lite sci-
licet nondum contestata: at post litem contestatam,
quia amplius bonæ fidei possessor non est, universos fru-
ctus restituit, non solum eos, quos percepit, sed etiam,
quos percipere poterat. d. l. bona fidei l. Nesenius. 41. §. 1.
de Rejud. l. 1. in fin. C. de pet. hered. Dn Lindeman. 7 C. magnus,
favitor ac promitor meus atatem honorandus Exerc. 2. n. 66.

CXXVII.

Pendentes autem, & adhuc extantes, cum ipso fun-
do vindicari possunt, quippè cujus pars esse censentur:
Gaj. l. fructus. 44. de R. V. l. in singulos. 8. in fin. de ann. le-
gat. Vlp. l. si pendentes. 27. in pr. de usufr. at sine ejus facto
nascetes, quicq̃ simpliciter naturæ sunt: eos fructus, ne
quidem possessor bonæ fidei percipiendo suos facit: d. §.
si quis à non domino. 35. Inst. h. tit. multò minus civiles fru-
ctus, & eos, qui juris sunt tantum: quos non tam fructus
esse, quam vicem fructuum obtinere constat. Vlp. l. us-
ura. 34. §. l. prediorum. 36. de usur. §. fruct. Ideoq̃ si adhuc
extant apud bonæ fidei possessorem, à domino vindicari:
sin consumpti sint, saltem condici poterunt: quatenus
scilicet bonæ fidei possessor factus est locupletior: quo-
niam iniquum est, cum damno alterius locupletari. Cels.
l. si me §. Titium. 32. si cert. pet. Vlp. l. sed et si lege. 25. §. quod
autem. 16. Paul. l. si à Domino 36. §. 4. de pet. hered.

CXXVIII.

Secus verò est, si non sit factus locupletior, quia
tunc saltem bona fides eum excusat: & ob id fructus
con-

20
consumptos omnes, etiam naturales, facit suos. Paul. d.
bona fidei. 48. in pr.

CXXIX.

Possessor autem malæ fidei, omnes ac universos fructus indistinctè cum re ipsa restituere cogitur: non solum perceptos, & quoquo modo à solo separatos: sed etiam tam consumptos, quam extantes: uti & eos, qui culpa possessoris percepti non sunt, aut quos alius diligentia percipere poterat: sive lis contestata sit, sive non sit. Paul. d. l. 48. Vlp. l. si pignore. 22. §. si Prado. 2. de pign. act. d. §. 35. Inst. in fin. & §. 2. Inst. de offic. jud. Et isto casu fructus extantes, à malæ fidei possessore vindicari possunt, & consumpti, condici: quanti scilicet plurimi fuerint: ne cuiquam sua fraus & improbitas lucro sit. Vlp. d. l. si pignore. 22. §. 2. in fin. & l. nam etsi 13. in pr. si cert. pet. & Paul. l. si procuratori. 14. in fin. de condict. ex caus. Nam etsi cum titulo is possideat, nihilominus cum fundo etiam fructus, licet consumpti sint, restituere cogitur, quum furtum eorum quodammodo faciat. Papin. l. sinavis. 62. de R. V. Vlp. l. ait prator. 10. §. per banc. que in fraud. credit. & l. sed & partus. 12. quod met. caus.

CXXX.

Sed tamen nihilominus expensas in colligendis fructibus factas, ei restituere æquum est, ut & omnes sumptus, quibus res ipsa facta est locupletior. Paul. l. planè. 38. cum l. seq. de hered. pet. & l. 2. C. de R. V.

CXXXI.

Tertius acquirendi modus est Specificatio: qua rei dominium acquiritur, quoties rudi materiæ forma aut species aliqua nova inducitur: sive materia ea, ex qua fit species, sit propria, sive aliena, sive deniq; communis. §. quum ex aliena. 25. J. b. tit.

F

182. Di-

05
CXXXII.

Distinguendum autem omninò, est tam inter materiam ipsam, quam inter bona, vel mala fide, speciem novam facientem. Nam ex mea, quod facio materia, meum est. *Cel. l. solum. 49. §. 1. de R. V. Paul. l. de eo. 12. §. si quis. 3. ad exhib. §. l. rectè. 25. in pr. de V. S.* At ex aliena materia si bona fide species nova fiat: licet olim inter Sabinianos & Proculianos admòdū hoc controversum fuerit; omnis tamen in eo dijudicandi ratio posita est, ut consideretur, possitne ea species ad materiam pristinam reduci, nec ne. *d. §. 25. Inst. Gaj. d. l. 7. §. 7.*

CXXXIII.

Priori casu materiæ cedit forma: sin minus, formæ cedit materia, quasi per novam speciem ea quadantenus sit extincta. *d. §. 25. Gaj. d. l. 7. §. 7. Paul. l. in omnibus. 24. de acquir. dom.*

CXXXIV.

Cum autem contra naturam sit, quenquam cum alterius damno locupletari: isto casu, materiæ domino competit actio ad exhibendum, & rei vindicatio: hoc verò, actio in factum, quæ estimationem materiæ suæ consequitur. *Paul. d. l. in rem. 23. §. idem quacumq;. 5. Pompon. l. si mulier. 29. §. fin. cum l. seq. de don. int. vir. & uxor.*

CXXXV.

Sin verò malâ fide lex alienâ materia, nova species effecta sit: veluti si ex alienis uvis mustum, vel ex olivis oleum factum sit: minimè tunc ei, qui fecit, sed qui materiæ dominus est, acquiritur: eoq; nomine ad exhibendum actione, huic tenetur: quia, quod ex re nostra fit, nostrum effici verius est. *Cel. l. solum §. 1. de R. V. Paul. l. de eo. 12. §. si quis ex uvis. 3. ad exhibendum.* Multòq; magis hoc

21
hoc verum est, si materia sit communis: ut, si ad sua ini-
tia redire nequeat; ejus sit species, cujus & res est, aut
pars rei illius, ex qua species, saltem bona fide, facta est:
nam tunc causa duplex, uni præponderat, *d. §. cum ex alie-
na. vers. quod si partim.* Gaj. *d. l. adeo. 7. §. 7.*

CXXXVI.

Huc quoque referenda confusio, qua dominium acqui-
ritur, quoties aliena materia cum sua conflatur: ut, vel
utriusque substantia mutetur, si quidem res ejusdem na-
turæ sint: vel saltem ea uniatur, si res sint diversæ. *§. si
duorum. 27. b. tit.* Gaj. *d. l. adeo. 7. §. sed etsi. 9.* Nam si
voluntate dominorum aliena materia cum sua confusa
sit: massa sit communis, sive materiæ ejusdem, sive di-
versi sint generis: quoniam tacita tunc subesse videtur
societatis pactio quædam, & conventio: etiam si nulla
alia communionis causa substitit. *d. §. si duorum. 27.* Gaj. *d. l.
adeo. 7. §. voluntas. 8. §. l. 2. pro soc.*

CXXXVII.

Quod si casu & fortuito, veluti incendio, sit facta
confusio: omnino videndum est, an id, quod confusum
est, atque commixtum, rursus deduci & separari possit. *d. §.
si duorum. 27. vers. quod si fortuito.* Gaj. *d. l. 7. §. 7.* Nam
si commodè separari possit, ejusdem manet, cujus & an-
tè fuit: veluti si plumbum cum argento sit confusum:
quoniam hoc ab eo facile separationem recipit. *Vlp. l. 5.
§. 1. de R. V. Callistr. l. lacus. 12. de A. R. D.* Itaque tunc massæ
illius pars, pro indiviso vindicari nequit: quia utraq; ma-
teria, licet confusa, manet tamen: *Vlp. d. l. 5. §. 1. vers. sed
si plumbum.* nam, tametsi dolo alterius confusio facta sit,
nihilominus in rem agi: eoque amplius, furti conveniri is
poterit, qui dolo fecisse hoc judicatus fuerit. *d. §. si duorum.
Gaj. d. l. 7. §. 7. Paul. l. 4. de R. V.*

CXXXVII.

Sed si commodè, salva utriusq; substantia separatio fieri nequeat: scilicet, si æs & aurum commixtum fuerit: corpus fit commune: quod non totum, sed pro parte est vindicandum. *d. §. si duorum. Gaj. d. l. adeo. 7. §. 7. Vlp. d. l. §. 1. de R. V.*

CXXXIX.

Nec quicquam interest, utrum ejusdem naturæ res sit, an diversæ: sed omninò, aut saltem commodè separari nequeat: nam & tunc pars ejus pro indivisio rectè vindicatur. *Vlp. l. 3, §. 2. & d. l. §. §. 1. vers. sed si plumbum. de R. V.* Quanquam hodiè ars inventa est, qua chrysulcæ aquæ vi, aurum à quocunq; metallo deduci potest, de qua est apud Alciatum, *6. parerg. c. 11.* Sed hoc tamen non fit salva utriusq; substantia: nam in expurgando auro per dictam aquam, æs ferè totum inter excoquendum evanescit. Itaq; tutius, rectiusq; esse existimamus, asserere, communicationi locum dandum esse.

CXL.

Deniq; Commixtione rerum dominium acquiritur, quoties res aliena, quæ ejusdem est generis, cum sua permiscetur: manente eadem rei substantiâ & formâ: veluti si frumentum alienum cum suo mixtum fuerit: *§. quod si frumentum. 28. Inst. b. tit. Ulp. l. idem Pompon. §. in pr. de R. V.*

CXLI.

Quod si commixtio consensu utriusq; domini sit facta, omne frumentum statim communicatum intelligitur: quoniam voluntas dominorum miscentium materias, commune totum corpus efficit *Vlp. d. l. §. in pr. Gaj. d. l. adeo. 7. §. voluntas. 8. d. §. quod si frumentum. 28.* Sin-
verò voluntate dominorum, non sit, confusum frumen-
tum,

22
tum, cessat communicatio: neque enim, ut in confusione,
ita in commixtione, partes minimæ singulorum corpo-
rum se ita contingunt, & in se quasi coeunt, ut unum ex
his corpus existat concretum, & quod uno spiritu con-
tineatur: sed quoniam in ea, quæ ex distantibus corpo-
ribus sunt, singulæ partes retinent suam propriam spe-
ciem; in rem actio singulis competit arbitraria: quan-
tum patet, in illo acervo suum cuique esse, Vlp. *d. l. 5. in
pr. Paul. d. l. in rem. 23. §. 5. vers. at in his corporibus.*

CXLII.

Sed tunc arbitrio iudicis continetur, ut is æstimet,
habita ratione non solum mensuræ, verum etiam quali-
tatis frumenti cujusquam: quantum unicuique ex illo
acervo restitui debeat. *d. §. quod si frumentum. in fin. §. d. §.
2. Inst. de offic. jud.*

CXLIII.

Et generaliter in omnibus, quæ vel separari, vel ad
eandem speciem reverti possunt, dicendum est: si mate-
ria, manente specie duntaxat, forte mutata sit: me-
eorum dominum manere. *Gaj. d. l. 7. §. 7. Paul. l. in omnibus.
24. de A. R. D.* Nisi voluntate domini, alterius nomine id
factum sit: nam tunc propter consensum domini tota
res ejus fit, cujus nomine facta est. *Callistr. l. nisi volunta-
te. 25. Pomp. l. quicquid. 27. §. 1. de A. R. D.*

CXLIV.

Quartus modus domini acquirendi, jure gentium
introducitur, est Traditio: *§. per traditionem. 40. Inst. b. tit.*
nam naturali æquitati nihil magis est conveniens, quam
voluntatem domini, rem suam in alium transferre vo-
lentis, ratam haberi. *d. §. 40. Gaj. l. qua ratione 9. §. b. æ
quod, res. b. tit.*

55
CXLV.

Ut autem firma sit traditio, sex requiruntur conjunctim: & quidem I. ut tradens sit dominus rei, vel quasi dominus: vel saltem habeat potestatem plenam rei alienandæ, sibi à domino concessam: veluti est Procurator, aut Creditor, Vlp. *l. traditio. 9. & l. non est novum. 46. de A. R. D. Pap. l. clavibus. 74. de contrab. empt. Vlp. l. nemo plus. 54. de R. J.*

CXLVI.

Secundò, ut is qui tradit, liberam rerum suarum habeat administrationem. Gaj. *l. obligari. 9. de aut. tut. Vlp. l. 15. cui bonus interdictum est, 6. de V. O. & l. Julianus. 10. de cur. fur.*

CXLVII.

Tertiò, ut tradens animum alienandi, accipiens accipiendi habeat: arg. *l. si per errorem. 15. de jurisdict. neq; in re sive corpore dissensus sit. Jul. l. cum in corpus. 36. b. tit.*

CXLVIII.

Quartò, ut res sit corporalis, quæ traditur. Gaj. *l. servus. 43. §. 1. b. tit.* Quintò, ut non effugiat commercium, ejusq; alienatio non sit prohibita. Paul. *l. 1. de fund. dot.*

CXLIX.

Finaliter, ut justa & idonea subsit causa dominij transferendi (quam titulum vocant) puta venditio, donatio, aut similis. Nerat. *l. si procurator. 15. b. t.* Pomp. *l. rei commodata. 8. Commod. Florent. l. licet. 17. §. un. de pos. Quandoquidem nuda traditio (id est, sine causa, aut conventionem) non transfert dominium. Paul. *l. nunquam nuda. 31. b. t.* uti nec conventio nuda (id est, sine traditione) id transfert. Imp. Dioclet. & Maximian. *l. traditionibus. 20. C. de pact.**

150. Nu-

Numerum claudat quæstio hæc, summum juris principium attingens, secundum Anton. Cont. Num ad dominium transferendum vacuæ possessionis requiratur traditio? Quod affirmamus, moti *l. si pater. 8. C. de act. empt. Paul. l. si in emptione. 2. §. vacua possessio. un. de act. empt.*

Errata potiora à Typographo, festinante nimium, commissa, L. B. corrigat hoc modo.

Th. 15. pro *condicta*, leg. *condita*. th. 69. pro *circumscripto*, leg. *circumsepto*. th. 72. post *verb. equitibusq; nobilibus*, duo *commata dele.* In eadem th. pro *Sirsi*, leg. *Sörst*. th. 104. *acoessio*, leg. *accessio*. th. 115. *fit arbor*. leg. *fit arbor*. th. 118. *pro rationi*, leg. *ratione*. th. 126. *pro poterat*, leg. *poterat*. in ead. th. *pro promitor*, leg. *promotor*.

VIRO Præstantissimo, Politissimo,
DN. HERMANNO WERNERO,
SS. LL. Cultori industrio, populari
& amico jucundissimo.

TU qui publicitus properas protrudere merces
Ingenij, ô patria portio cara mea.

Aonio purum quod sic de fonte liquorem
Delibare juvat, pocula docta sitis.

Pocula qui satagis sacra gestare Themistos
Mox satis in laudes ebrius arte rues.

Perge modò bifidi rorantia pocula juris
Haurire, & Bacchi temnere; charus eris.

Charus eris Superis, Musis gratusq; minister,
Atq; Deo, & cunctis hospes amatus eris.

ευφηνικός ένεργ. f.

Theodorus Varmejer. J. U. D.
WER-

55
WERNERUS

Per Anagr.

ENUSU, RURE.

Germanis Hermannus erat dux strenuus armis,
Confiliis pollens, Marte feroce potens.
Es nobis, Hermanne, decus discrimina *Rerum*,
Monstrans. ENUSU, RURE, poliç Vales.

M. JACOBUS Dürfelt/ Os. VVestph.

Quas turbas cieat rerum divisio, & iras
Quas moveat, satis id lux bodierna docet:
Hic socius socios, hic ladit amicus amicos,
Frater & in fratris viscera tristè furit:
Hoc dum tu mecum cernis VVERNERE, quid bicce
Sit juris, gestis tradere lemmatibus;
Queis Themis ipsa dari meliora, magisq; perita
Pernegat, & punctum temeruisse refert:
Ergò citò errorum fac evanescere in auras,
Fumos, ut veri splendeat aura: Vale!

ita

amicissimo meo

cusirm congratulabar

M. Henricus Starke,

Hervord. West. Med, Stud,

& P. C. C.



tum, cessat communicatio: neq̄ en
ita in commixtione, partes minim
rum se ita contingunt, & in se quasi
his corpus existat concretum, & q̄
tineatur: sed quoniam in ea, quæ e
ribus sunt, singulæ partes retinent
ciem; in rem actio singulis compe
tum patet, in illo acervo suum cu
pr. Paul. d. l. in rem. 23. §. 5. versat in bis

CXLII.

Sed tunc arbitrio iudicis conti
habita ratione non solum mensuræ;
tatis frumenti cujusquam: quanti
acervo restitui debeat. *d. §. quod si fra*
2. Inst. de offic. jud.

CXLIII.

Et generaliter in omnibus, quæ
candem speciem reverti possunt, die
ria, manente specie duntaxat, forte
rum dominum manere. *Gaj. d. l. 7. §.*
24. de A. R. D. Nisi voluntate domini
factum sit: nam tunc propter con
res ejus fit, cujus nomine facta est. *C*
te. 25. Pomp. l. quicquid. 27. §. 1. de A. R.

CXLIV.

Quartus modus domini acquiritur
introducitur, est Traditio: *§. per trad*
nam naturali æquitati nihil magis ei
voluntatem domini, rem suam in
lentis, ratam haberi. *d. §. 40. Gaj.*
quod res. b. tit.

F

22
fusione,
n corpo
anum ex
ritu con
s corpo
iam spe
: quan
d. l. 5. in

æstimet,
m quali
ex illo
m. & d. §.

i, vel ad
si mate
me co
omnibus.
omine id
mini tota
volunta

gentium
st. b. tit.
s, quam
ferre vo
e. §. b. 2

145. Ut

